

Trigesimusoctavus non solum omnia peccatoris opera peccati arguit, quoties ei gratia defuerit, sed, eâ absente, omnem ipsi libertatem adimit, præterquam ad peccandum; quasi stare, sedere, vel unum gressum ponere nequeat sine peccato; quæ peccandi necessitas, quam author libertatem vocat, juxta eundem non oberit demerito. Ita miser omni actu demerebitur constrictus necessitate peccandi. Cum autem juxta Articulum vigesimusoctavum, *Prima gratia, quam DEUS concedit peccatori, sit peccatorum remissio*, quâ peccator esse definit, sequitur necessariò dogma horridum, & à sanctissimo Vicario tuo Pio V. ac dein à Gregorio XIII. & Urbano VIII. damnatum inter Bajana num. 35. & 40. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est: Et in omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.*

Articulus trigesimusnonus eandem peccandi necessitatem extendit ad omnes, etiam justos, quocunque temporis momento, & ad quodcunque opus, ad quemcunque corporis, vel animi motum, auxilium gratiæ non præstiteris.

Articulus quadragesimus dunitem auget, qui omnes actus etiam justorum elicitos sine gratia videtur ad peccata referre mortalia, dicendo: *Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.* Uterque posterior Articulus pridem à tribus memoratis tuis Vicariis proscriptus fuit in hoc 27. Bajano: *Liberum arbitrium sine gratiæ DEI adjutorio non nisi ad peccandum valet.*

Eundem errorem continet Quesnelli Articulus quadragesimusprimus, hoc addens: *Quòd Omnis DEI cognitio, quæ à DEO est, sine adjutorio gratiæ, non producat nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum DEUM.* Unde cognitio ista mala esset, & DEUS author mali, quin & peccatorum gravium ex illo consequentium.

Articulus quadragesimussecundus, statuens sine sacrificio fidei nihil esse, nisi impuritatem, nihil nisi indignitatem, reducit errorem vigesimumquintum à tribus citatis Pontificibus in Bajo proscriptum: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & philosophorum virtutes sunt vitia.* Et hunc octavum inter 31. ab Alexandro damnatos, *Necesse est infidelem in omni opere peccare.*

Quesnelli Articulus quadragesimustertius baptizatos omnes reddit impeccabiles, cum primum effectum Baptismo tribuat, *Facere ut moriamur peccato, adeò ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.* Oppositum nimis frequens docet baptizatorum experientia, simile sanctitatis figmentum pridem in Catharis hæreticis Ecclesia rejecit.

Articulus quadragesimusquartus, errorum plurius seminarium est; si enim omnis amor sit malus, præter amorem DEI benevolum, & supernaturalem, *Qui omnia agit propter DEUM, quemque DEUS remuneratur*, omnes actus virtutum moralium, uti & actus Fidei, & Spei, nisi ex illo proveniant, ad vitia pertinebunt. Errorum voco seminarium, continet enim novem ab Alexandro VIII. damnatos inter 31. nempe septimum & octo ibi sequentes; ultra plures à tribus Pontificibus proscriptos in Bajo, nempe hunc decimum sextum: *Non est vera legis obedientia, quæ fit sine Charitate*, & vigesimumquintum, vigesimumseptimum, & trigesimusoctavum.

Idem error est Quesnelliani Articuli quadragesimiquinti, quadragesimifexti, & quadragesimiseptimi.

Quadragesimusoctavus damnatus est in vigesimoquinto Baji superius relato, & in octavo proscripto ab Alexandro VIII. cujus propositionis verba jam dedi.

Ab Apostolo tuo didicimus tres virtutes Theologicas Fidem, Spem, & Charitatem, quarum quidem major sit Charitas, sed non sola: Fides, & Spes sine charitate virtutes esse non definunt, uti & virtutes morales; quod negat Articulus quadragesimusnonus, dicens: *Nullum esse opus bonum sine amore Dei*, quo nomine ab Authore intelligi amorem benevolentiae fati exploratum est. Sed & clarissime impingit Articulus in decretum Ale-